

DE SACROSANCTIS ECCLESIIIS ET DE REBUS ET PRIVILEGIIS EARUM.

1.2.1

Imp. Constantinus A. ad Populum.

Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholicae venerabilique concilio decedens bonorum quod optavit relinquere. non sint cassa iudicia. nihil est quod magis hominibus debetur, quam ut supremae voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stilus et licitum quod iterum non redit arbitrium.

PP. V non. Iul. Romae Crispo II et Constantino II CC. cons. [a. 321]

1.2.2

Impp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. Pancratio pu.

Nemo apostolorum vel martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam.

D. III k. Aug. Heradiae Eucherio ei Syagrio cons. [a. 381]

1.2.3

Idem AAA. Cynegio pp.

Nemo martyres distrahat, nemo mercetur.

D. IIII k. Mart. Constantinopoli Honorio np. et Euodio cons. [a. 386]

1.2.4

Impp. Honorius et Theodosius AA. Aetio pu.

Non plures quam nongenti quinquaginta decani sacrosanctae huius amplissimae urbis deputentur ecclesiae nullique his addendi mutandive vel in defuncti locum substituendi pateat copia: nulli alii corporatorum praeter praedictum numerum per patrocina immunitate concessa negataque omni novationis facultate similia vindicandi his, quae in honorem vel necessaria obsequia sacrosanctae ecclesiae indulta sunt.

D. XII k. Sept. Eudoxiopoli Honorio VIII et Theodosio III AA. cons. [a. 409]